

ΕΠΙΣΤΟΛΑ.

gratulor, ac mihi gaudeo, quod hominē mihi amicissimum honoribus cumulatiorem habeam. Hortorq; ut magno & infractō animo sis, in liberalium artium augēda promotione & dignitate, quo nominis tui splendorem familiæ, ciuibus patriæq; tuæ exēplum diligentia, ueluti pignus quoddā relinquas. Nam si iuxta Platonē non nobis tantū, sed patriæ partim, partim amicis nati sumus, cuius facti honestius exemplum præbere poteris quam ut uestram πολιτείαν φιλοσοφία, id est rem publicam ciuilem repub. literaria exornare labores? Fuit maiorum tuorū temporibus Rostochium, quod ex Ptolomæi Hyphegesi Laciburgum fuisse conijciunt, nō incelebris Academia, quod propter Oceani uicinitatem & agrorū amplitudinem, annonæ nūquam caritas magna eo loco esse posset, sed propter magnam et cōmunem rerum publicarum perturbationem, & hominum ab religione discordiam, paucioribus missis ad studia artium, honor & præmium bonarum disciplinarum, ualde in plerisque locis sunt labefactata: at nunc rebus non nihil quietis ad ueteres sedes ueluti post liminio reuertitur, id quod potissimum te recto